

Ροδαίτης οίνος.

ROSACEUM VINUM.

CAP. XXX.

Rhodites sic fit Rosarum siccarum, tufarumq; minam linteolo deligatam in sextarios octo musti demergito: & post tres menses defæcatum vinum transfundens, recondito. Utile ijs, qui febre carent: & ad stomachi coctiones & dolores, à cibo potum: & contra humidam alvum & dysenterias. Fit quoq; ex succo rosarum addito melle, quod rhodomeli vocant: quod arteriæ scabritijs convenit.

Μυρτίτης οίνος.

MYRTITES VINUM.

CAP. XXXI.

Myrtites fit, baccis nigris, quæ maturitatem excefferint, tufis, & organo expressis. Aliqui ad tertias coquant. Alij baccas prius sole torrent, & quaternis sextarijs contufarum, ternas aquæ heminas adjiciunt, & vini veteris parem modum: postea exprimunt & fervant. Magnopere adstringit: stomacho utile: fluxionibus ventris ac stomachi prodest, & contra intestinas ulcerationes, & profluvia: denigrat capillos.

Μυρσινίτης οίνος.

MYRSINITES VINUM.

CAP. XXXII.

Myrsinites sic temperatur. Rami nigræ myrti cum suis baccis & folijs tufi, decem minarum pondo, in tribus musti congijs fervescunt, donec duo superfint, aut certe dimidium: id vinum colatum ad usum reconditur. Contra furfures, ulcera in capite manantia, eruptiones papularum, gingivas, tonsillas & purulentas aures efficax est: sudores sistit.

Σχίνος καὶ τερεβινθίνος οίνος.

LENTISCINUM ET TEREBINTHINUM VINUM.

CAP. XXXIII.

Lentiscinum similiter ut myrsinites temperatur. Nec secus terebinthinum: namq; bacciferi eorum rami sumi debent. Similes insunt vires: adstringunt, stomacho accommodantur, & defluxionibus intestinorum, vesicæ & stomachi, & sanguinis profluvio. Ulcera omnia fluxionibus obnoxia, foris ad cicatricem perducunt: fluxiones vulvæ ac sedis infestatione cohibent.

Φοινίκης οίνος.

PALMEUM VINUM.

CAP. XXXIV.

Palmulas maturas, quas vocant chydeas in urceolum imo pertusum, & obstructum picata arundine, demittito: lino foramen sit obturatum, & quadragenis sextarijs ternos aquæ congijs infundito: quod si ipsum ita dulce esse non libeat, quinque congijs infudisse satis est: post decem dies detracto ab arundine linteo, assumito vinum crassum & dulce, & reponito. Suave illud quidem, sed capiti noxium: contra fluxiones propter adstrictoriam vim efficax: stomachicis, coeliacis, sanguinem expuentibus convenit. Aliqui idem addita aqua iterum capiunt, & tertio, quarto, quinto sextove faciunt, quod tandem acore vitatur.

Καρύχνης οίνος.

VINUM EX CARICIS FACTUM.

CAP. XXXV.

Catorchites, aliquibus sycites vocatur, in Cypro fit, ita ut palmeum: sed hoc interest: quoniam pro aqua tantumdem humoris adjiciunt, in quo recenter pressa vinacea maduerint. Caricæ quæ chelidonæ aut phœniceæ appellantur, præsertim nigræ macerantur, uti diximus: & post decem dies humor excipitur, atque iterum, aut tertio, idem modus aquæ, in qua vinacea maduerint, infunditur: simili modo intercedente spatio, quarto aut quinto assumitur. Demaceratorum liquor non secus acorem contrahit, & aceti usum præbet. Id tenue est: flatu gignit, stomacho adversatur, fastidium parit, alvo tamen prodest, urinam ciet, menses trahit, lactis ubertatem facit, vitiosum sanguinem creat, & elephantiasin adfert, ut potio, quam zython appellamus. Aliqui sex amphoris, decem salis sextarios adjiciunt. Alij muricæ amphoram, quod non facile vitatur, & alvo idoneum fore censent. Alij thymum & fœniculum imo subjiunt, & caricas superponunt: & ita vicissim, donec vas expleverint. Fit & sycomoræ eodem modo vinum, sed in acetum acre degenerat: quoniam non ita prævalet vis eorum, ut fluentis liquoris dulcedinem retinere possit.

Ρεσινάτης οίνος.

RESINATUM VINUM.

CAP. XXXVI.

Resinatum vinum populatim factitari solet copiosum in Galatia, quoniam vinum illic coalescat, uva non maturecente, ob cœli algorem, nisi picea resina temperetur. Resina autem cum cortice tunditur, & amphoræ dimidiata hemina permiscetur. Aliqui ubi effervuit, excolant, separantes resina: alij relinquunt. Hæc vina vetustate dulcescunt. Omnia capitis dolorem, & vertigines faciunt: coctionem tamen adjuvant & urinam ciet: rufientibus ac destillatione vexatis conveniunt: item coeliacis, dysentericis & hydropicis, fœminis fluxione vulvæ laborantibus: altis exulcerationibus infunditur. In hoc autem genere nigricans magis albo constringit.

Στροβιλίτης οίνος.

VINUM STROBILITES.

CAP. XXXVII.

Strobilites fit maceratis in musto nucibus pineis, recentibus fractisq;: præbetq; resinati effectus. Si quis madefactas nuces pinî musto decoquat, potum assatim convenit ijs, qui tabitudine conficiuntur.

Κερίον.

ΚΕΔΡΙΝΟΝ ΕΚ ΤΩΝ ΚΕΔΡΩΝ ΚΑΙ ΑΛΙΟΤΩΝ ΑΡ-
ΒΟΡΙΒΙΣ ΑΚ ΦΡΥΚΤΙΒΙΣ ΒΙΝΟΝ. CAP. XXXVIII.

Cedrinum, juniperinum, cupressinum, laurinum, pineum aut abiegnum, simili ratione fiunt. Divisos recentiores ramos, cum fructum edunt, aut soli, aut balneo, aut igni admove oportet, uti confudent, congioq; vini minam unam permiscere, & post duos menses transfundere, & antequam recondantur, insolare. Fastitiorum vinorum vasa impleri debent: namq; non plenis vasis, vina in acorem corrumpuntur. Medicata autem vina recte valentibus insalubria. Omnia exalfaciunt, urinam cient & substringunt. Laurinum tamen vehementius exalfacit. Fit quoq; e fructu cedri majoris vinum, congio musti, adjecta tularum baccarum selibra: diebus quadraginta insolari debet, & defaecatum in vasa transferri. Fit etiam vinum e baccis juniperi, non aliter quam cedrites, & ad eadem valens. Cedrites hoc modo fit. Cedriam dulci aqua lavant, & singulas amphoras singulis cyathis diluunt, & ita musto replent. Hoc genus vini exalfacit, extenuat: tussi antiquae utile sine febre, pectoris laterisq; doloribus, torminibus ventris, & interaneorum ulceribus, purulentis excreationibus, mulieribus vulvae causariis, hydropicisq; facit adversus ventris tineas & horrores. Contra venenatos ictus auxiliatur: serpentes necat: aurium doloribus instillatum medetur.

ΠΙΚΑΤΟΝ ΒΙΝΟΝ.

PICATUM VINUM.

CAP. XXXIX.

Picatum ex liquida pice & musto temperatur. Picem autem primum marina, aut muria tantisper elue- re oportet, dum inaluerit, & syncera maris aqua defluat: mox aqua dulci proluenda: congiis octo musti uncia picis una, aut altera adicitur: ubi effervuerit & constiterit, in vasa diffunditur. Hoc genus vini exalfacit, concoquit, purgat, abstergit: utile doloribus pectoris, alvi, jecinoris, lienis, & vulvae, si sine febre sint, veteri rheumatismo, exulcerationibus in altum recedentibus, tussi, suspiriis, concoctionibus tardis, inflationibus & luxatis, praesertim in succida lana impositum.

ΑΨΙΝΘΗΤΟΝ ΒΙΝΟΝ.

VINUM ABSINTHITES.

CAP. XL.

Absinthite faciendi ratio evariat. Aliqui enim duodequingenta sextariis Italicarum amphora- rum, admistam absinthii pontici libram decoquant ad tertias: & ubi infuderint sex aceti sextarios, & absinthii selibram, ac diligenter permiscuerint, diffundunt in vas: dumq; conquieverit, defaecant. Alii absinthii minam in amphoram demittunt, tularumq; & raro lintheo deligatam, in cado musti mace- rant binis mensibus. Alii absinthii quadrantem, alii trientem, & nardi Syriacae, cinnamomi, cassiae, floris junci odorati, calami, elatae palmarum singulos sextantes injiciunt in metretam musti, & tundentes prius pila, obstructo vasis spiraculo, binis ternisve mensibus dimittunt: postea defaecatum vinum trans- fundunt ad usus. Alii addunt in musti cadum Celticae nardi drachmas quatuordecim, & absinthii drach- mas quadraginta, lintheo involutas: post quadagesimum diem elutriant. Alii in senos sextarios musti, absinthii libram, & siccae pini resinae sextantem immittunt: & post decem dies excolant & recondunt. Utile est stomacho, urinam cient, tardam concoctionem accelerat: hepaticis, regio morbo, & renum vitiis auxiliatur: fastidia discutit: ijs prodest, quibus stomachus negotium exhibet: valet contra longam praecordiorum distentionem & inflationes, teretesque ventris tineas, & remoratos menses: contra hau- sta iuxta venena quam plurimum potum, & vomitionibus redditum, auxiliatur.

ΥΨΟΠΙΤΟΝ ΒΙΝΟΝ.

VINUM HYSSOPITES.

CAP. XLI.

Hyssopites e Cilicio hyssopo maxime laudatur. Fitq; similiter, foliorum hyssopi tularum libra in am- phoram musti coniecta: lintheo raro cum quibusdam lapillis folia involvuntur, ut degravatus pondusculo fasciculus fidat: vinum post quadraginta dies defaecatum elutriatur. Contra pectoris, late- rum & pulmonis vitia, veterem tussim & suspiria prodest: urinam cit: torminibus & horroribus febri- um circuitu repetentibus auxiliatur, menses movet.

ΟΪΝΟΙ ΕΚ ΤΩΝ ΠΟΛΛΩΝ ΦΥΤΩΝ.

VINA EX DIVERSIS PLANTIS
FACTA.

CAP. XLII.

Simili modo chamædryites fieri solet. Exalfacit, discutit: convulsis, regio morbo, vulvae inflationis- bus, tardae concoctioni, incipienti aquae intercutem subvenit. In veterascens melius redditur. Stœ- chadites non secus temperatur. Congiis sex stœchadis minam addere oportet. Crassitiem, inflationes, laterum nervorumq; cruciatus, & perfrictiones discutit: comitialibus commodè datur cum pyrethro & sagapeno. Fit ad eadem acerum e stœchade herba, ut paulò ante diximus, aceto macerata, quod eos- dem implet effectus. Fit vinum e betonica, quam cestron psycotrophon appellant. Herbam semine maturo praequantem, cum suis ramulis minae pondo, congiis duobus vini macerant, & post septimum mensem transfundunt. Ad multa interaneorum vitia, ut frutex ipse, pollet. Et ut in universum dicatur, fastitia vina sibi misturarum vires adfiscunt: quare non difficile fuerit iis, qui illarum naturam norint, vinorum vires conjectura quadam consequi: veruntamē vinorum usus febricitantibus abdicandus. Fit etiamnum e betonica acerum ad eadem vitia utile. Tragoriganites fit quaternis tragorigani drachmis lintheo colligatis, in quaternos musti sextarios coniectis, & post tertium mensem transfusis. Prodest torminibus, vulvis, ruptis, laterum doloribus, spirituum discursationi, ægris concoctionibus. E nipsis fit vinum.

Hhhh 3

vinum,